Confessio

Estuans
intrinsecus
ira vehementi
in amaritudine
loquar meae menti
factus de materia
levis elementi
similis sum folio
de quo ludunt venti

Cum sit enim
proprium
viro sapienti
supra petram ponere
sedem fundamenti,
stultus ego comparor
fluvio labenti
sub eodem aere
nunquam permanenti

Feror ego veluti
sine natua navis
ut per vias aeris
vaga fertur avis,
non me tenent vincula
non me tenet clavis
quero mihi similes
et adiungor pravis

Mihi cordis gravitas
res videtur gravis;
iocus est amabilis
dulciorque favis;
quicquid Venus
imperat
labor est suavis,
que nunquam in
cordibus
habitat ignavis.

Via lata gradior
more iuventutis,
implico me vitiis
immemor virtutis,
voluptatis avidus
magis quam salutis,
mortuus in anima
curam gero cutis.

Presul discretissime
veniam te precor
morte bone morior
dulci nece necor
meum pectus sauciat
puellarum decor
et quas tactu nequeo
saltem corde mechor.

Res est arduissima
vincere naturam
in aspectu virginis
mentem esse puram
iuvenes non possumus
legem sequi duram
leviumque corporum
non habere curam.

Quis in igne positus
igne non uratur?
Quis Papie
demorans
castus habeatur
ubi Venus digito
iuvenes venatur
oculis illaqueat
facie predatur?

Si ponas Ypolitum
hodie Papie,
non erit Ypolitus
in sequenti die
Veneris in thalamos
ducunt omnes vie
non est in tot turribus
turris Alicie.

Secundo redarguor
etiam de ludo.
Sed cum ludus
corpore
me dimittat nudo,
frigidus exterius
mentis estu sudo
tunc versus et carmina
meliora cudo.

Tertio capitulo
memoro tabernam.
Illam nullo tempore
sprevi, neque spernam,
donec sanctos angelos
venientes cernam,
cantantes pro mortuis
'*Requiem eternam*'.

Meum est
propositum
in taberna mori,
ut sint vina proxima
morientis ori;
tunc cantabunt letius
angelorum chori
'Deus sit propitius
huic potatori'.

Poculis accenditur
animi lucerna
cor imbutum nectare
volat ad superna;
mihi sapit dulcius
vinum de taberna,
quam quod aqua miscuit
presulis pincerna.

Loca vitant publica
quidam poetarum,
et secretas eligunt
sedes latebrarum
student, instant,
vigilant,
nec laborant parum,
et vix tandem reddere
possunt opus clarum.

Ieiunant et abstinent
poetarum chori
vitant rixas publicas
et tumultus fori,
et, ut opus faciant
quod non possit mori,
moriuntur studio
subditi labori.

Mihi nunquam
spiritus
poetrie datur,
nisi prius fuerit
venter bene satur;
dum in arce cerebri
Bacchus dominatur
in me Phebus irruit
et miranda fatur.

Unicuique proprium
dat natura munus,
ego nunquam potui
scribere ieiunus
me ieiunum vincere
posset puer unus
sitem et ieiunium
odi tamquam funus.

Unicuique proprium
dat natura donum;
ego versus faciens
bibo vinum bonum,
et quod habent purius
dolia cauponum
tale vinum generat
copiam sermonum.

Ecce, mee proditor
pravitatis fui,
de qua me redarguunt
servientes tui.
Sed eorum nullus est
accusator sui,
quamvis velint ludere
seculoque frui.

Iam nunc in
praesentia
presulis beati,
secundum dominici
regulam madnati
mittat in me lapidem,
neque parcat vati
cuius non sit animus
conscius peccati.